



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dispositio Et Perioche Historiae Evangelicae Per IIII.
Euangelistas contextæ, necnon Actuum apostoloru[m],
Epistolaru[m] quoq[ue] Pauli XIII. & Canonicaru[m] VII.**

Bullinger, Heinrich

Tigvri, 1553

VD16 B 9605

13 Argvm. Epist. S. Pavli Ad Philemonem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35634

etiāco littore, autumat scriptam, nimirū quod ipse Paulus in fine epistolae dicat, Da operam ut uenias ad me Nicopolim. Nam illic decreui hybernare. Quādo uero scripta sit ante uel post captum Apostolum, non satis constat. Theophylactus existimat ante uincula scriptam & priusquam posterior ad Timotheum uulgaretur. Certe non decriuit perquirenti diligentius coniecturae quibus colligatur scriptam esse posteaquam Caesaris sententia Romae esset absolutus.

ARGVM. EPIST. S. PAULI
AD PHILEMONEM.

13

PHILEMONI erat seruus Onesimus, qui sup-
pilatis domini facultatibus aufugit Romam. illic
audito Paulo & religionem Christi recepit & Paulo in
carcere seruiuit, & ea quidem integritate ut hunc do-
mino suo reconciliare cogitaret Apostolus. Scripta igitur
hac epistola mire Philemonem urget ut seruulum re-
cipiat fugitiuum.

Scripta est in genere deliberatiuo, & arte tanta,
breuitate item tam erudita, ut mihi nihil in omnium
oratorum exercitamentis & declamationibus uideatur
extare hodie quod cū hac Pauli sit conferendū epistola.

Præterea exemplum in hac nobis proponitur cha-

K

EPISTOLA PAULI

ritatis insigne, cum uir tantus furacis hominis caussam tanto sibi ardore sumit agendam. Erudimur illa ipse lapsis nõ denegandam esse ueniam, si modo resipiscant. Breuiter thesaurum cum eruditionis tum pietatis non epistolam dicet quisquis hoc breue Pauli scriptum propius expendit.

14

ARGUMENTVM EPISTOLAE S. PAULI AD HEBRAEOS.

Euangeliũ.

TRIA sunt quæ hac tractantur epistola. Principio enim monet ne reijciant Christũ Iudæi, neq; aspernentur euangelij negotium per incredulitatem: quantoquidem angelis potentior sit, & Mose maior, angelorum etiã dominus, & deus conditor: nihil interim eleuante eius maiestatem humana natura, quam sibi ex Abrahamæ traxerit prosapia. Considerent autem miserum maiorum suorum exemplum, quorum murmur, perfidia & incredulitas misere sit multata in deserto: unde consentaneum sit ipsos pessime nunc quoq; habituros, si ipsum uerbum dei uiuum, ipsumq; dei filium perrexerint cõtemnere. Et hæc agit per integra prima quatuor capita. Nimirum aduersus eos sic perorans, qui Christum aspernantes obijciebant, Nos Mosi discipuli sumus,

chi